

Confirmant idem *ESSENTIALITER CONSEQUENTIA*, symptomata alia competentia communia, partim ex ipsius *COR* descriptione laudatis locis, partim ex ipsis allatis nostris, & ἀπὸ τῆς κοινῆς supplenda. Talia fuerint sitis, dolor capitis, anxietas & alia itidem praesentia, vel iungenda.

Nec abluunt *CAUSAE* antegressae, consimiliter iungenda, motus corporis & animi, ebrietas, tempus anni aestiuum, & similia in causis repetenda.

Testimonium conforme praebet *ANALOGISMUS*, seu fons similitudinis, ex quo etiam hoc loco icterus omnino iudicandus. Ex dictis enim ad alterutrum statum reducendus est noster casus. Qualem itaque in examine hoc inuenimus, talem merito iudicamus, icterum nempe calidum, febrilem, secundi generis. Q. E. D.

*SUBIECTUM PRINCIPALE* assignandum itidem est pro modulo affectus, ratione febris quidem, tanquam morbi intemperiei, *COR*, causae communis vero & *HEPAR*, colatorium bilis; seu alio paulo sensu *ADEQUATVM*, vniuersi corporis habitus, diffusa in eiusdem habitum cutis tinctura biliosa, maxime in oculorum tunica albuginea. Adeoque duplex in respectu ad morbum & symptoma, quae bene inuicem quadrare queant & in vnum τὸ δέ τῃ conspirare.

Et hepar quidem, vna cum folliculo felleo per essentiam magis, cor vero per consensum magis affectum statui potest optime, facta κοινῶς *COMMUNIONE* per vasa partim biliaria, partim sanguinea venosa & arteriosa, utroque circulo inter se communicante, toti cum partibus omnibus immissa & participante bile. Nec opus est peculiare vas concipere, bilem ad cor eiusque ventriculos inferens, praeter communia circulum absoluentia, quae iam dum videntur sufficere; vt itidem